vim, aut bellum expectantem, in imperio vestro (sicut videtis)
extorrem patria, domo inopem et coopertum miseriis effecit, ut
ubivis tutius quam in meo regno essem. Ego sic existimabam, P. C.
uti prædicantem audieram patrem meum, qui vestram amicitiam
diligenter colerent, eos multum laborem suscipere, cæterum ex omnibus
maxime tutos esse. Quod in familia nostra fuit, præstitit, ut in
omnibus bellis adesset vobis; nos uti per ocium tuti simus, in
manu vestra est, P. C. Pater nos duos fratres reliquit, tertium
Jugurtham beneficiis suis ratus est nobis conjunctum fore, alter
eorum necatus est, alterius ipse ego manus impias vix effugi. Quid
agam? aut quo potissimum infelix accedam? Generis præsidia omnia
extincta sunt, pater, uti necesse erat naturæ concessit: fratri, quem
minimè decuit, propinquus per scelus vitam eripuit. Affines, amicos,
propinquos cæteros meos, alium alia clade oppressit: capti ab
Jugurtha pars in crucem acti, pars bestiis objecti sunt. Pauci,
quibus relicta est anima, clausi in tenebris, cum mœrore et
luctu, morte graviorem vitam exigunt. Si omnia, quæ aut amisi,
aut ex necessariis adversa facta sunt incolumia manerent, tum si
quid ex improviso mali accidisset: vos implorarem, P. C. quibus
pro magnitudine imp. jus et injurias, omnes curæ esse decet. Nunc
verò exul patria, domo solus, atque omnium honestarum rerum
egens, quos accedam, aut quos appellem? Nationesne an Reges?
qui omnes familiæ nostræ ob vestram amicitiam infesti sunt, an
quoquam mihi adire licet, ubi non Majorum meorum hostilia mo-
numenta plurima sint? An quisquam nostri misereri potest? qui
aliquando vobis hostis fuit? Postremò Masinissa nos ita instituit,
P. C. ne quem coleremus, nisi Pop: Rom:, ne societates, ne fœdera
nova acciperemus, abunde magna præsidia nobis in vestra
amicitia fore: si huic imperio fortuna mutaretur, una occiden-
dum nobis esse: Virtute ac Diis volentibus, magni et opulen[ti]
estis, omnia secunda et obedientia sunt, quo facilius sociorum
injurias curare licet. Tantum illud vereor, ne quos privata
amicitia, Jugurthæ parum cognita transversos agat, quos ego
audio summa ope niti, ambire, fatigare vos singulos, ne quid
de absente, incognita causa statuatis: fingere me verba, et
fugam simulare, cui licuerit in regno manere. Quod utinam
illum, cujus impio facinore in has miserias projectus sum, eadem